Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1803
Quelle:
Copyright:

qui fuit Episcopus Pictauiensis; Frater Richardus de Media Villa, Frater Johannes Scotus famosissimus et subtilissimus, Frater Alexander de Alexandria, qui fuit etiam Minister generalis, quem, ut discernatur a primo Alexandro, cognomino Lombardum, et illum primum cognomino Anglicum. De alio autem ordine fuerunt duo scilicet de ordine Praedicatorum Frater Thomas de Aquino etiam famosissimus, et Frater Petrus de Tarentasio, qui fuit Papa (Innocentius V.) *Aliquid etiam recepi de Quodlibetis Magistri Heinrici de Gandauo. Doctores vero Juris canonici, ex quibus plurima sumpsi, fuerunt etiam isti, scilicet Bernhardus* (de Montemirato Compostellanus) *compilator Apparatus ordinarii Decretalium; Innocentius Papa quartus, qui fecit Apparatum Decretalium; Hostiensis* (Henr. de Segusia) *Goffredus* (Galfredus, Ganfredus de Trano) *quorum uterque fecit Summam et Apparatum; Guillelmus Durandi, qui fecit Speculum judiciale et Reportorium; Garsias* (ICtus Hispal.) *qui fecit Apparatum super Decretales Gregorii decimi* (lege IX.) *Johannes Andreae, qui fecit Apparatum super VI°. Decretalium; Bartholomaeus Brixiensis, qui fecit Apparatum super Decretum; Raymundus* (de Pennafort) *et Rodonensis* (Guil. Rhedonensis O. P.) *qui fecit Apparatum super Raymundi Summam.* Praeterea, quae *Astexanus* a Librariis suis petit, adscribam: *Moneo, ut in principio tituli semper litera prima fiat magna litera de minio et auro, et in principio cuiuslibet articuli, nisi forte primo, fiat paragrafus insignis, seu duplex, seu cum aliquibus floribus, ut initium articuli facilius discernatur.* Egi de eo in *Memorab.* vernac. *Biblioth. Garell.* P. I. p. 44. 4. Alia quaedam refert *Mazzuchellius* in *Scritt. d'Italia Vol.* I. P. 2. p. 1184. ubi tamen Card. *Joh. Cajetano de Ursinis* perperam substituitur Card. *Jacobus Cajet. de Stephanescis.* Ceterum miratus sum semper, a nemine Autorum christianum Summistae nostri nomen prodi; *Astesanus* enim manifeste πατρονυμικον tantum est ab ejus urbe natali *Asta*, et ut Summa ejus recte dicatur *Astesana*, quemadmodum alia similis *Pisanella* dicitur, non tamen inde inferas, ejus Autorem *Pisanellum* vocari, qui *Bartholomaeus* fuit.

DCCLI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 121. 4. per duas columnas luculente exaratus, minio distinctus, et quondam Collegii *Vienn.* S. J. ab Indice alphabetico auspicatur, qui inscribitur: *Incipit Summa Casuum.* Hunc Rerum Indicem consequitur alius *Capitulorum*, quae numero sunt CCXLVIII. quorumque primum praenotatur: *Quare penitentia Tabule comparetur*, ultimum vero: *De penitentia Scandali.* Init Opus: *Cum miserationes domini sint super omnia opera eius. misericordiam* R. 1124